

**EXCERPTA E LIBELLO PRECUM
IN ORDINE TRADITARUM**

★ Summarium	718
★ Prænotanda	719
★ Orationes circa mysterium Dei et œconomiam salutis	721
★ Orationes ad Sanctos Ordinis nostri	735
★ Orationes variæ et Sanctis nostris tributæ	743
★ Orationes pro peculiaribus adjunctis	757
★ Litaniæ B. Mariæ Virginis ab Ordine receptæ	778

SUMMARIUM

Prænotanda	719	
I. Orationes circa mysterium Dei et œconomiam salutis:		
Divinæ misericordiæ viæ	721	
Ad Christum crucifixum:		
— Versus de Passione D. N. Iesu Christi	723	
— Absorbeat, quæso	725	
Pro cultu mysterii eucharistici:		
— Rhythmus: Adoro te devote	726	
— Tropus: Ave verum	727	
— Preces ante et post Communionem eucharisticam vel Missam	727	
Ad Spiritum Sanctum: Sequentia	730	
Ad B. Mariam Virginem:		
— Oratio ab omni religioso dicenda	731	
— Virgo Dei Genetrix	734	
II. Orationes ad Sanctos Ordinis nostri:		
Ad S. P. N. Dominicum:		
— Oratio beati Iordanii de Saxonia	735	
— Preces in honorem S. Patris Dominici	739	
Ad quosdam Sanctos O.P.	742	
III. Orationes variæ et Sanctis nostris tributæ:		
Orationes super Evangelium	743	
Orationes pro variis necessitatibus:		
— Ad veniam pro peccatis impetrandam	745	
— Ad vitam sapienter instituendam	746	
— Ante lectionem, scriptionem vel prædicationem	748	
— Pro obtainendis virtutibus	749	
— Pro impetranda contemplatione	750	
— Pro gratiarum actione	751	
— Pro impetranda fidelitate	752	
Adhortatio et Oratio de septiformi affectu ad Iesum crucifixum	752	
Benedictio infirmorum in nonnullis Provinciis O.P. adhibita	755	
IV. Orationes pro peculiaribus adjunctis:		
Pro Capitulo generali vel provinciali et euntibus ad illud	757	
Preces pro Familia Dominicana et pro benefactoribus	764	
Benedictio pro itinerantibus	773	
V. Litaniæ B. Mariae Virginis ab Ordine receptæ		778
Supplicatio pro filiali dedicatione Beatæ Mariæ Virgini	783	

PRÆNOTANDA

1. Supplementum hoc III elementa quædam præstantiora continet e Libello precum Ordinis de-prompta, editione partim renovata. Preces in hac Appendice insertæ devotionem erga Sanctos Ordinis nostri exprimunt, necnon ipsorum orationis et contemplationis amorem et studium excolunt.

Elementa hæc diligenter examinata et iuxta normas typographicas hodiernas edita sunt, ad struc-turam intimam cuiusque textus detegendam.

2. Origine historica seriore vel recentiore at-tenta, elementa hæc in quinque sectiones distributa sunt:

- I. de mysterio Dei et œconomia salutis;
- II. preces vel textus in honorem Sanctorum Ordinis nostri, præcipue sancti Patris nostri Dominici;
- III. preces sancto Alberto vel sancto Thomæ vel sancto Vincentio Ferrer traditione nostra tri-
butæ;
- IV. formulæ benedictionum, precum et aliqua sche-mata pro peculiaribus adiunctis nostrarum Com-munitatum (electiones, etc.);
- V. Litaniæ B.M.V. ab Ordine receptæ.

3. Elementa historica et critica explicant qua de causa aliquæ preces vel formulæ Sanctis quibusdam tributæ fuerint et quare hæc paternitas effecerit ut ipsæ in Libellum precum O.P. sint receptæ.

a) *Preces ante et post Missam (727):*

Omnibus cognita sunt devotio qua S. Dominicus Eucharistiam celebrare solitus erat et munus quod S. Thomas exercuit in conficiendo Officio Sollemni-tatis Corporis Christi.

Primum sæculo xv, ac postea constanter sæcu-lo xvi, orationes quæ sequuntur sancto Thomæ fue-runt tributæ, sed antiquiores sunt.

b) *Orationes super Evangelium* (743):

Hæ dominicanæ antiquitatis orationes, in Medio Ævo compositæ, iam exeunte sæculo xv sancto Alberto Magno tributæ sunt. A textis biblicis liturgiæ illius temporis suggestæ, exemplum afferunt orationis privatæ ad liturgiam ac textus sacros alte attingentis.

c) *Orationes ad beatam Mariam Virginem* (731) et *pro variis necessitatibus, sancto Thomæ tributæ* (744):

Devotio erga B. Mariam Virginem iam inde ab infantia S. Thomæ manifesta est, ut Guillelmus de Tocco testatur (c. 4). In operibus postea per totam vitam Thomæ elucescit (cf. *In Sententiarum libris, Summa Theologiæ*, etc.) et in visione B. Mariæ Virginis (Tocco, c. 33). Novissime ac pulcherrime hæc devotio manifesta erit in sermonibus *Super Ave Maria* anni 1273. Frater Thomas de Aquino studendo atque orando tempus complebat eique oratio intima vis studii erat nec aliquid ipse faciebat nisi prius oraret (*Proc. can.*, 45, 58).

Textus qui sequuntur credibiliter exprimunt quomodo Fratres Ordinis sæculo XVI sancti Thomæ exemplum sequi voluerint.

4. Sectio IV aliquarum orationum, e Collectario et e Processionario O.P., renovationi respondet. Hæc nova formularia, quæ facile aptari poterunt, ex Liturgia et Sacra Scriptura necnon ex moribus nostris hauriunt. Proponuntur vero Capitulis conventionalibus ut monitiones quæ orationem communitatis foveant efficiantque ut Communitas ipsa respondere possit aliquibus exigentiis Constitutionum ad orationem vel ad celebrationes regulares pertinentibus.

I. ORATIONES CIRCA MYSTERIUM DEI ET œCONOMIAM SALUTIS

Divinæ misericordiæ viæ

O amor inæstimábilis,
o dulcis amor, ignis ætérne!

Tu es ignis qui semper ardes,
o alta et ætérrna Tríntitas!

Rectus es absque ulla tortuositáte,
simplex, absque duplicitáte
et sincérus absque ulla fictióne.

Novi quod misericórdia tibi própria est,
immo ad quidquid me considerándo convérto
nihil invénio absque misericórdia tua;
ideóque curro et clamo ante misericórdiam tuam
ut fácias misericórdiam cum hoc mundo.

I

O Véritas ætérrna, quæ est doctrína tua?
Quod est iter per quod opórtet nos
accédere ad Patrem?

Nescio áliud vidére nisi quod tu, Verbum ætérrnum,
pavimentásti reálibus virtútibus
ignis caritatis tuæ,
quas ædificásti pretiósó sanguine tuo:
hæc est quidem via.

O ineffábilis et dulcíssima cáritas,
tu es Deus noster
qui solúmmodo vis sanctificationem nostram.
Hoc patet evidénter in sanguine Fílli tui,
qui propter nostram salútem cucúrrit
ad opprobriósam mortem sanctíssimæ Crucis.

II

O quam própria est tibi misericórdia,
Véritas ætérrna!

Misericórdia tua creávit nos;
misericórdia tua redémit nos a morte ætérrna.

Misericórdia ipsa regit nos
et détinet iustítiam tuam.

Ipsa misericórdia differt mortem nostram
tribuéndo tempus in quo possímus
ad te revérti et tibi reconciliári.

Ex misericórdia dimisísti cicatrícies
in córpore Agni unigéniti tui,
ut cum ipsis coram maiestáte tua
pro nobis misericórdiam póstulet.

Misericórdia tua nóluit quod Agnus immaculátus
solúmmodo única gutta cruóris sui
redímeret genus humánum,
nec cum pœna solúmmodo uníus membra,
sed cum toto sanguine
et totius córporis sui pœnis.

Et hoc ex virtúte Deitátis infinítæ
únitæ cum natúra nostra finíta:
humánitas passa fuit in Verbo,
Déitas vero sacrificíum acceptávit.

III

O Verbum ætérrnum, Fílli Dei,
et unde hoc quod habuísti
perféctam contritióñem culpæ,
cum in te numquam fúerit
venénum peccáti?

Vídeo quod voluísti satisfácere
cum corporáli et mentáli pœna,
sicut corporáliter et mentáliter
homo commiserat culpam.

Peccávi Dómino, miserére mei.

[S. Catharina Sen., Oratio XIX:
ed. G. Cavallini, Roma 1978, p. 219]

AD CHRISTUM CRUCIFIXUM

Versus de Passione Domini Nostri Iesu Christi

S. Catharinæ de' Ricci († 1590) instar, communitates Ordinis meditationi Passionis Domini libenter se dederunt, cantando infrascriptos Versus, e Sacra Scriptura excerptos. Hic datur textus integer sed aliqui versus tantum in usu haberi possunt pro celebrationibus, Tempore Quadragesimæ, et etiam ut « preces » in Vesperis.

Post brevem monitionem (vel biblicam lectionem), ante imaginem D. N. Iesu Christi crucifixi, vel iconem, Cantor cantat, mediocri voce, infrascriptos Versus, intermittens versibus pausam meditationi faventem.

1. Amíci mei et próximi mei: *
adversum me appropinquavérunt et
stetérunt. Ps 37, 12
2. Tráditus sum et non egrediébar: *
óculi mei languérunt præ inópia. Ps 87, 9b-10a
3. Et factus est sudor meus: *
sicut guttæ sanguinis decurréntis in
terram. Lc 22, 44b
4. Circumdedérunt me canes multi: *
concílum malignántium obsédit me. Ps 21, 17
5. Corpus meum dedi percutiéntibus: *
et genas meas velléntibus. Is 50, 6a
6. Fáciem meam non avérти ab
incredántibus: *
et conspuéntibus in me. Is 50, 6b
7. Quóniam ego in flagélla parátus sum: *
et dolor meus in conspéctu meo
semper. Ps 37, 10
8. Mílites plecténtes corónam de
spinis: *
imposuérunt super caput meum. Io 19, 2
9. Fodérunt manus meas et pedes
meos: *
et dinumeravérunt ómnia ossa mea. Ps 21, 17b.18a

10. Et dedérunt in escam meam fel: *
et in siti mea potavérunt me acéto. Ps 68, 22
11. Omnes vidéntes me derisérunt me: *
locúti sunt lábiis et movérunt caput. Ps 21, 8
12. Ipsi vero consideravérunt et
inspexérunt me: †
divisérunt sibi vestiménta mea, *
et super vestem meam misérunt
sortem. Ps 21, 19
13. In manus tuas comméndo spíritum
meum: *
redemísti me, Dómine, Deus veritátis. Ps 30, 6
- Hic chorus repetit: In manus tuas, etc.
14. Meménto famulórum tuórum,
Dómine: *
dum véneris in regnum tuum. Cf. Lc 23, 42

Altiore voce:

15. Iesus autem emíssa voce magna: *
trádidit spíritum. Mt 27, 50

Quo cantato longius protrahitur silentii tempus cum
aptato gestu (prostratione vel genuflexione); et Cantor
versus prosequitur, altiore voce, et singulos versus
eadem pausa distinguens.

16. Misericórdias Dómini: *
in ætérmum cantábo. Ps 88, 2
17. Vere languóres nostros ipse tulit: *
et dolóres nostros ipse portávit. Is 53, 4
18. Ipse autem vulnerátus est propter
iniquítates nostras: *
attritus est propter scélera nostra. Is 53, 5
19. Omnes nos quasi oves errávimus: *
unusquisque in viam suam declinávit. Is 53, 6a

20. Et pósuit in eo Dóminus: *
iniquitátes ómnium nostrum. Is 53, 6b
21. Exsúrge, quare obdórmis, Dómine? *
exsúrge, et ne repéllas in finem. Ps 43, 24
- Hic chorus repetit:** Exsúrge, quare obdórmis, etc.
- Et Cantor subsequitur:** Exsúrge, quare obdórmis, etc.
22. Ecce Deus Salvátor meus: *
fiduciáliter agam et non timébo. Is 12, 2
23. Te ergo, quásumus, tuis fámulis
súbveni: *
quos pretiósos sanguine redemísti. Te Deum, 15

In fine dici possunt:

- V. Miserére nostri, Iesu benígne.
R. Qui passus es cleménter pro nobis.

Oratio

Réspice, quásumus, Dómine, super hanc famíliam tuam, pro qua Dóminus noster Iesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, et crucis subíre torméntum. Qui vivit.

Post hanc orationem, fratres et sorores, secundum rerum adiuncta, imaginem Salvatoris venerari poterunt. Interea cantantur hymnus Vexilla Regis vel alii cantus congrui.

[Process. O.P. 325-328]

Oratio ad Christum crucifixum

Absórbeat, quæso, Dómine Iesu Christe,
mentem meam
igníta et mellíflua vis amóris tui
ab ómnibus, quæ sub cælo sunt,
ut amóre amóris tui móriar,
qui amóre amóris mei
dignátus es in ligno crucis mori.

PRO CULTU MYSTERII EUCHARISTICI

RHYTHMUS

Adóro te devóte, latens déitas,
quæ sub his figúris vere látitas:
tibi se cor meum totum súbicit,
quia, te contémplans, totum déficit.

Visus, gustus, tactus in te fállitur,
sed audítu solo tuto créditur:
credo quidquid dixit Dei Fílius,
nil hoc veritatis verbo vérius.

In cruce latébat sola déitas,
at hic latet simul et humánitas,
ambo tamen credens atque cónfitens,
peto quod petívit latro p  nitens.

Plagas, sicut Thomas, non int  eor,
Deum tamen meum te confíteor:
fac me tibi semper magis cr  dere,
in te spem hab  re, te dil  gere.

O memoriále mortis D  mini,
Panis vivus, vitam pr  stans h  mini,
pr  sta me   menti de te vívere,
et te illi semper dulce s  pere.

Pie pellicáne, Iesu D  mine,
me imm  ndum munda tuo S  nguine,
cuius una stilla salvum f  cere
totum mundum quit ab omni sc  lere.

Iesum, quem vel  tum nunc asp  cio,
oro, fiat illud, quod tam sítio:
ut, te reveláta cernens f  cie,
visu sim beátus tu   glori  .

TROPUS

Ave verum corpus, natum
de María Vírgine;
vere passum, immolátum
in cruce pro hómine.

Cuius latus perforátum
fluxit aqua et ságuine,
esto nobis prægustátum
mortis in exámine.

O Iesu dulcis!
O Iesu pie!
O Iesu, fili Maríæ!

[Process. O.P. 454]

**Preces ante et post Communionem eucharisticam
vel Missam**

PRÆPARATIO*Oratio S. Thomæ de Aquino*

Omnípotens sempiterne Deus,
ecce accédo ad sacraméntum unigéniti Fílii tui,
Dómini nostri Iesu Christi:
accédo tamquam infírmus ad médicum vitæ,
immúndus ad fontem misericórdiæ,
cæcus ad lumen claritatis ætérnæ,
pauper et egénus ad Dóminum cæli et terræ.

Rogo ergo imménsæ largitatis tuæ abundántiam,
quátenus meam curáre dignéris infirmitátem,
laváre fœditátem, illumináre cæcitátem,
ditáre paupertátem, vestíre nuditátem,
ut panem Angelórum, Regem regum
et Dóminum dominántium,
tanta suscipiam reveréntia et humilitáte,
tanta contrítioñe et devotioñe, tanta puritáte et fide,
tali propósito et intentióne,
sicut expedit salúti ánimæ meæ.

Da mihi, quæso, dominici Córporis et Sánguinis
non solum suscípere sacraméntum,
sed étiam rem et virtútem sacraménti.

O mitíssime Deus,
da mihi Corpus unigéniti Fílli tui,
Dómini nostri Iesu Christi,
quod traxit de Vírgine María, sic suscípere,
ut córpori suo mýstico mérear incorporári
et inter eius membra connumerári.

O amantíssime Pater,
concéde mihi diléctum Fílium tuum,
quem nunc velátum in via suscípere propóno,
reveláta tandem fácie perpétuo contemplári:
Qui tecum vivit et regnat
in sácula sáculórum. Amen.

[Missale Romanum, 1975², p. 933]

Oratio B. Dominici Patris nostri

Dómine Iesu Christe, Fili Dei vivi,
fácere propóno et inténdo
quod fáceré iussísti in die Cenæ,
et sancta mater Ecclésia uníta fácere inténdit.
Ne despéxeris ergo me,
sed propter infinitam misericórdiam tuam
dele iniquitatés meas,
et fac me tuum idóneum et fidélem minístrum,
et súscipe hoc sacrificíum de móribus meis indígnis,
ad laudem et glóriam totius Trinitatis
et Ecclésiæ tuæ sanctæ,
et ad proféctum mei et aliórum fidélium,
tam vivórum quam defunctórum,
pro quibus inténdo oráre,
vel qualitercúmque sim obligátus
generáliter et speciáliter,
in nómine sancto tuo.
Amen.

[BB I 13*]

GRATIARUM ACTIO*Oratio S. Thomæ de Aquino*

Grátias tibi ago,
 Dómine, sancte Pater, omnípotens ætére Deus,
 qui me peccatórem, indígnum fámulum tuum,
 nullis meis méritis,
 sed sola dignatióne misericórdiæ tuæ
 satiáre dignátus es pretiósó Córpo
 et Ságuine Fílli tui,
 Dómini nostri Iesu Christi.

Et precor, ut hæc sancta commúnio
 non sit mihi reátus ad pœnam,
 sed intercéssio salutáris ad véniam.
 Sit mihi armatúra fídei, et scutum bonæ voluntátis.
 Sit vitiórum meórum evacuátio,
 concupiscéntiæ et libídinis exterminátio,
 caritátis et patiéntiæ, humilitátis et obœdiéntiæ,
 omniúmque virtútum augmentátio:
 contra insídias inimicórum ómnium,
 tam visibílium quam invisibílium, firma defénsio:
 mótiuum meórum, tam carnálium quam spiritálium,
 perfécta quietátio:
 in te uno ac vero Deo firma adhæsio,
 atque finis mei felix consummátio.

Et precor te, ut ad illud ineffábile convívium
 me peccatórem perdúcere dignérис,
 ubi tu, cum Fílio tuo et Spíritu Sancto,
 Sanctis tuis es lux vera, satíetas plena,
 gáudium sempítérnum, iucúnditas consummáta
 et felícitas perfécta.

Per Christum Dóminum nostrum.
 Amen.

[*Missale Romanum, 1975², p. 934*]

AD SPIRITUM SANCTUM

SEQUENTIA

Sancti Spíritus adsit nobis grátia,
 quæ corda nostra sibi fáciat habitacula
 expúlsis inde
 cunctis vítiis spiritálibus.

Spíritus alme
 illustrátor hóminum,
 áridas nostræ
 mentis purga ténebras.

Amátor sancte sensatórum
 semper cogitáatum,
 infúnde unctiónem tuam
 clemens nostris sénsibus.

Tu purificátor
 ómnium flagítionum, Spíritus,
 purífica nostri
 óculum interiórissimorum hóminis:

Ut vidéri suprémus Génitor
 possit a nobis,
 mundi cordis quem soli cérnere
 possunt óculi.

Prophétas tu inspirásti,
 ut præcónia Christi præcinuíssent íclita.
 Apóstolos confortásti,
 uti trophéum Christi per totum mundum véherent.

Quando máchinam per Verbum suum
 fecit Deus cæli, terræ, mäterium,
 Tu super aquas, fotúrus eas,
 numen tuum expandísti, Spíritus.

Tu animábus vivificándis
 aquas fecúndas,
 Tu aspirándo, da spiritáles
 esse hómines.

Tu divísum per linguas mundum et ritus
adunásti, Dómine;
idolátras ad cultum Dei révocas,
magistrórum óptime.
Ergo nos supplicántes tibi
exáudi propítius, Sancte Spíritus,
sine quo preces omnes cassæ credúntur
et indígnæ Dei áuribus.

Tu qui ómnium sæculórum sanctos
tui núminis docuísti instínctu
amplecténdo, Spíritus,
ipse hódie Apóstolos Christi
donans múnere insólito et cunctis
inaudíto sæculis,
hunc diem gloriósum fecísti. Allelúa.

[Ex Prototypo B. Humberti de Romans, f. 420 rb]

AD BEATAM MARIAM VIRGINEM

Oratio ab omni religioso dicenda

O beatíssima et dulcíssima Virgo María
Mater Dei omni pietáte pleníssima,
summi regis fília, dómina Angelórum,
mater ómnium credéntium:
in sinu pietátis tuæ comméndo,
hódie et ómnibus diébus vitæ meæ,
corpus meum et ániam meam
omnésque actus meos:
cogitationes, voluntátes, desidéria,
locutiones, operationes,
omnémque vitam finémque meum:
ut per tua suffrágia disponéntur in bonum,
secúndum voluntátem dilecti Fílii tui
Dómini nostri Iesu Christi;

ut sis mihi, o Dómina mea sanctíssima,
 adiútrix et consolátrix
 contra insídias et láqueos hostis antíqui
 et ómnium inimicórum meórum.

I

A dilécto Fílio tuo Dómino nostro Iesu Christo
 mihi impetráre dignérис grátiam
 cum qua poténter resistere váleam
 tentatióibus mundi, carnis et dæmonis,
 ac semper habére firmum propósitum
 ultérius non peccándi,
 sed in tuo et dilécti Fílii tui
 servítio perseverándi.

Déprecor te étiam, Dómina mea sanctíssima,
 ut ímpetres mihi veram obœdiéntiam
 et veram cordis humilitátem,
 ut veráciter me agnóscam
 míserum ac frágilem peccatórem
 et impoténtem
 non solum ad faciéndum quodcúmque opus bonum
 sed étiam ad resisténdum
 contínuis impugnatiónibus
 sine grátia et adiutorio Creatóris mei
 et sanctis précibus tuis.

Impetra mihi étiam, o Dómina mea dulcíssima,
 perpétuam mentis et córporis castitátem:
 ut puro corde et casto córpore
 dilécto Fílio tuo et tibi
 in tuo Ordine váleam deservíre.

Obtine mihi ab eo voluntáriam paupertátem,
 cum patiéntia et mentis tranquillitaté,
 ut labóres eiúsdem Ordinis váleam sustinére,
 et pro salúte própria et proximórum
 váleam laboráre.

II

Impetra mihi étiam, o dulcíssima Dómina,
 caritátem veram,
 qua sanctíssimum Fílium tuum
 Dóminum nostrum Iesum Christum
 toto corde díligam,
 et te post ipsum super ómnia
 et próximum in Deum et propter Deum:
 sicque de bono eius gáudeam,
 de malo dóleam nullúmque contémnam,
 neque temerárie iúdicem,
 neque in corde meo alícui me præpónam.

Fac étiam, o Regína cæli,
 ut dulcíssimi Fílii tui timórem
 páriter et amórem
 semper in corde meo hábeam;
 et de tantis benefíciis
 mihi, non meis méritis,
 sed ipsíus benignitáte collátis,
 semper grátiás agam;
 ac de peccátis meis
 puram et sincéram confessiónem
 et veram pæniténtiam fáciam,
 ut suam cónsequi mérear
 misericórdiam et grátiam.

III

Oro étiam, ut in fine vitæ meæ,
 cæli porta et peccatórum advocáta,
 me indígnum servum tuum
 a sancta fide cathólica
 deviáre non permíttas,
 sed tua magna pietáte et misericórdia
 mihi succúrras,
 et a malis spirítibus me deféndas:

ac benedicta Filii tui gloriósa passióne,
 étiam in tua própria intercessióne spe accépta,
 véniám de peccátis meis ab eo mihi ímpetres,
 atque me, in tua et eius dilectióne moriéntem,
 in viam salvatiónis et salútis dírigas. Amen.

[S. Thomas Aq.: ed. Parm., t. 24, p. 243]

Virgo Dei Genetrix

Virgo Dei Génatrix, eia óbsecra,
 adsis nobis míseris, eia óbsecra,
 nos purgans a vítiis, eia óbsecra,
 ut nobis sit méritis Deus tuis placábilis,
 eia óbsecra.

Virgo, David filia, eia óbsecra,
 Dei plena grátia, eia óbsecra,
 nobis sis propítia, eia óbsecra,
 ut per hæc sollémnia ncva nobis sit grátia,
 eia óbsecra.

Virgo, gemma vírginum, eia óbsecra,
 reparátrix ómnium, eia óbsecra,
 spes in te credéntium, eia óbsecra,
 ut per tuum gáudium novum nobis sit remédium,
 eia óbsecra.

Virgo, plena gáudio, eia óbsecra,
 tua miserátrio, eia óbsecra,
 sit nobis remíssio, eia óbsecra,
 ut tua deprecátrio nova nobis sit redémptio,
 eia óbsecra.

[pro cantu: cf. Barge, p. 67]

II. ORATIONES AD SANCTOS ORDINIS NOSTRI

AD S.P.N. DOMINICUM

Oratio beati Iordani de Saxonia

(ASOP 18, 1927-28, pp. 564-568)

Oratio Iordani de Saxonia ad S. Dominicum eiusdem generis est ac orationes ad S. Benedictum a monachis compositæ sæculis XI et XII. Ex magna admiratione ac singulari devozione oritur quam *Libellus* ostendit in animo Iordani erga S. P. Dominicum. Cuius animi effigies, secundum dicendi genus quod in *Te Deum* testatur, in textu hic infra transcripto amabiliter expressa est. In novissimis lineis, Iordanus ad precem suam fratres omnes consociante, oratio ex « ego » in « nos » evolvitur.

Sacérdos Dei sanctissime,
 conféssor alme et prædicátor egrégie,
 beatissime Pater Domínice,
 vir électe a Dómino,
 et super omnes in diébus tuis Deo placens,
 atque dilécte vita, doctrína et miráculis gloriósa,
 quem apud Dóminum Deum nostrum
 advocatione præcipuum
 habére gaudémus:
 ad te, quem inter sanctos et électos Dei
 devotíone multa véneror,
 de profúndis clamo in hac valle misériæ.

I

Adésto, quæso, piissime,
 adésto clementissime,
 peccatríci ánime meæ,
 omni virtute et grátia destítutæ,
 multisque misériis
 ac vitiórum et peccatórum vínculis involútæ.

Adésto míseræ et infelíci,
 o beáta et benedicta ánima viri Dei,
 quam benedictiōne tanta ditávit grátia divína,
 ut non solum te ad beátam réquiem,
 ad tranquíllam sedem,
 ad cælestem glóriam sublimáret,
 sed et álios innumerábiles
 ad eándem beatitúdinem
 tua laudábilis vita tráheret,
 dulcis admonítio incitáret,
 suávis doctrína instrúeret,
 et fervens prædicátiō provocáret.

Adésto ígitur, benedícte Domínice,
 et inclína aurem pietátis tuæ
 ad votum devótæ supplicatiōnis meæ.

Ad te confúgiens,
 pauper et mendíca ánima mea
 tibi se prostérnit.

Quantum húmili mente potest,
 tibi sese conáтур lánguida præsentáre,
 tibi, quantum moribúnda valet, nítitur supplicáre,
 ut poténtibus méritis et piis prémibüs tuis
 eam dignéris vivificáre atque sanáre
 et benedictiōnis tuæ dono copióse replére.

Scio namque, scio bene,
 et certus sum quia potes,
 confido ex magna caritatē tua, quia voles.

Spero útique ex nímia familiaritatē tua
 dilectíssimi tui et élécti ex míllibus Iesu Christi
 quia tibi non negábit,
 sed apud eúndem Dóminum et amícum tuum
 quidquid volúeris obtinébis.
 Quid dilécto suo negáre póterit tam diléctus!

II

Tu in ætáte adhuc florénte
 virginitatēm tuam
 specioso vírginum Sponso dedicásti.

Tu candidátam fonte sancto
 et ditátam Spíritu Sancto ániam tuam
 amatóri vírginum castíssimo sponsam dedísti.

Tu corpus tuum hóstiam vivéntem,
 sanctam, Deo placéntem tribuísti.

Tu institutióne divína formátus
 teípsum totum Deo tradidísti.

Tu iam pridem reguláribus armis instrúctus
 ascensiónes in corde tuo disposuísti.

Tu de virtúte crescens in virtútem,
 de bono semper ad mélius profecísti.

Tu viam déníque perfectiónis aggréssus,
 derelíctis ómnibus,
 nudus nudum Christum sequéndo,
 thesaurizare magis in cælestibus elegísti.

Tu veheméntius temetípsum ábnegans
 atque viríliter crucem tuam báiułans,
 Redemptórìs nostri et ducis veri
 sequi vestígia studuísti.

Tu zelo Dei atque supérno igne succénsus
 propter nímiā caritátem tuam,
 et veheménti spíritus fervóre
 et paupertátis voto perpétuæ
 apostólicæ religíoni et evangélicæ prædicatióni
 temetípsum totáliter impendísti,
 et ad hoc opus alto iam dudum providénte consílio
 Fratrum Prædicatórum Ordinem instituísti.

Tu per orbem terrárum
 gloriósis méritis et exémplis tuis
 sanctam Ecclésiam illuminásti.

Tu derelícto carnis ergástulo
 ad supérnam assúmptus cùriam ascendísti.

Tu decorátus stola iam prima
 advocátus noster ad Dóminum accessísti.

Tu ígitur, quæso,
 mihi et ómnibus caris nostris súbveni,

et univérso clero, et pópulo,
 atque devóto femíneo séxui,
 qui salútem géneris humáni
 tanto zelo desiderásti.

III

Tu post beátam Regínam vírginum
 spes mea dulcis atque solátium,
 tu singuláre mihi refúgium,
 inténde propítius in meum auxílium.
 Ad te unum, ad te confúgio,
 ad te solum audácter vénio,
 ad tuos pedes me prostérno.
 Te patrónum supplex ínvoco,
 te implóro et tibi dévote me recomméndo.
 Tu suscípere et custodíre,
 tu protégere et adiuváre me dignáre propítius,
 ut intercedénte grátia tua
 desiderátam Dei grátiam recuperáre,
 misericórdiam eius inveníre,
 et præséntis atque futúræ vitæ
 remédia ad salútem mérear impetráre.
 Sic, sic, magíster óptime, sic, quæso, fiat,
 dux íclite, pater alme, beáte Domínice.
 Sic mihi, precor, adsis in ómnibus.
 Et esto nobis verus Domínicus,
 Dómini gregis custos assíduus.
 Custódi semper nos et gubérna,
 et tibi commíssos nos eménda,
 et emendátos nos recomménda.
 Cum gáudio post hoc exsílrium nos repræsénta
 benedícto Dómino et dilécto tuo
 altíssimo Dei Fílio
 Iesu Christo, Salvatóri nostro,
 cui honor, laus et glória
 cum gloriósa Vírgine María
 et univérsa cívium supernórum cúria
 in sempitérana sæculórum sǽcula. Amen.

Preces in honorem S. Patris Dominici

I

1 Glorióse sancte Pater Domínice, qui pæniténtiæ ac castitatis exémplar exstitisti, ínnocens corpus tuum maceratióribus, ieíuniis et vigiliis castigando, grátiam nobis obtine pæniténtiæ virtútem toto mentis inténtu exercéndi atque cordis integritatétem in novitáte sensus nostri sancte custodiéndi.

[Pater, Ave, Glória.]

2 Magne Pater sancte Domínice, qui divíni amóris flammis accénsus in oratióne atque íntima cum Deo unióne delícias tuas invenísti, ímpetra nobis fidelitátem in oratióribus quotídie fundéndis, fervéntem erga Dóminum caritátem atque grátiam mélius in dies adimpléndi eiúsdem divína præcépta.

[Pater, Ave, Glória.]

3 Glorióse sancte Pater Domínice, qui animárum salútis zelo replétus evangélicum verbum assídue prædicásti Fratrúmque Prædicatórum Ordinem ad veræ fídei defensiónen et peccatórum conversiónem procurándam condidísti, Deum pro nobis exóra, ut grátiam nobis impertiáitur sincére diligéndi fratres nostros eóisque oratióribus ac bonis opéribus adiuvándi, ut sanctificatió nem æternámque salútem consequántur.

[Pater, Ave, Glória.]

R. Ora pro nobis, beáte Pater Domínice.

R. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio

Concéde, quásumus, omnípotens Deus, ut qui peccatórum nostrórum póndere prémissimur, beáti Domínici confessóris tui, Patris nostri, patrocínio sublevémur. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

II

1 Dómine Iesu Christe, qui pretiosíssimo Ságuine tuo Ecclésiam tuam formásti et Apostolórum prædicatione constituísti, propagásti et per totum mundum extendísti, quique post illos étiam sanctum Patrem Domínicum misísti ad eam formósam dénuo reddéndam, illustrándam et defendéndam meritórum et doctrínæ ipsius splendóre; exaudíre propítius dignérís vota, quæ vir ille apostólicus exhibére tibi non cessat, ut illa temporálibus non cáreat subsídiis et spirituálibus augeáatur increméntis.

[Pater, Ave, Glória.]

2 Clementíssime Redémptor, qui sanctum Domínicum mundo donásti, ut tibi inservíret tamquam coadiútor in magno salútis animárum ministério, quarum revéra tam multas grátia tua suóque zelo lucrátus est Ecclésia; mitte, quæso, Deus meus, novos semper operários in víneam tuam, ut ad glóriam tuam labórent fructúsque vitæ ætérnæ colligant.

[Pater, Ave, Glória.]

3 O bone Iesu, qui tibi complacuísti in sancto Domínicu, quem quavis nocte ante altáre tuum vidísti prostrátum ad adorándum vivíssima fide te in sanctíssimæ Eucharístiæ Sacraménto abscónditum et ad gémitus, preces et pæniténtias ingemináandas pro Ecclésia tua; prótege semper ipsam tuam Sponsam per intercessióinem sancti Domíni.

[Pater, Ave, Glória.]

Versus et Oratio ut supra, 739.

III

Præter Divinum Officium, variæ celebrationes liturgicæ occasionem præstant memoriam faciendi S. P. Dominici. Sequentes orationes vel similes in usu haberí possunt: post antiphonam ad S. Dominicu quæ sequitur Salve Regína, in celebrationib[us] in honorem S. P. Dominici [anniversariis, speciali patrocinio, peregrinationib[us]], in vigiliis circa corpus defuncti fratris vel sororis.

1 Deus véniae et fidelitatis, beatum Domínicum ad imáginem Fílii tui « mitis et húmiliis corde » effecísti. Præsta, quásumus, ut exémplo et précibus eius, « humilitátem servémus et paupertátem voluntáriam gaudéntes possideámus », in Christo Iesu Dómino nostro.

2 Dómine Iesu, B. Domínico tribuísti ut crucis tuæ mystérium die ac nocte contemplarétur et de ómnibus in libro caritatis docerétur. Fac ut nos, páriter in eádem luce vivéntes et te Salvatórem nostrum recoléntes, læti procedámus.

3 Dómine Deus noster, sancto Patri Domínico dedísti, ut assídua prece « veram impetráret caritátem, curándæ et procurándæ salúti hóminum efficácem », da nobis ut eádem caritatis sollicitudine impleámur.

4 Dómine Deus Pater Dómini nostri Iesu Christi, qui nos elegísti et prædestinásti in Fílio tuo, ut essémus in laudem glóriæ tuæ in domo servi tui Domínici, pro collátis donis grátias ágimus tibi, et te deprecámur ut omnes vivos et defúnctos, in domo tua, sanctos et imaculátos, coram te, collocáre dignérís.

5 Pater imménsæ maiestatis, exáudi fílios tuos glóriam tuam celebrántes; creásti nos ad te et fecísti nos pópulum tuum in domo Domínici. Fac nos in splendóre vultus tui prógredi et in lucem tuam omnes fratres defúnctos áccipe.

6 Deus amóris et fidelitatis, Verbum tuum apud nos misísti ut sit pro nobis via. Præsta ut per viam eius, sémitas servi tui Domínici sectántes, in gáudio « procedámus et cogitémus de Salvatóre nostro ».

7 Dómine Deus noster, meménto Domínici, martyrium desiderántis desidério magno. Da fortitúdinem frátribus nostris, qui pro nómíne tuo et amóre Iesu Christi propter iustítiam persecutiónem patiúntur.

8 Deus amóris et fidelitatis, Domínicum et Ordinem eius beátæ Maríæ Vírginis patrocínio commíttere voluísti. Præsta quásumus, ut sicut in præsénti vita dulcédo et spes nostra ipsa éxstitit, ita Fílium tuum, último die, misericórditer osténdat.

AD QUOSDAM SANCTOS O.P.

Ad S. Thomam Aquinatem ante studium

Doctor angélice sancte Thoma, theologórum principes et philosophórum norma, præclárum christiáni orbis decus et Ecclésiae lumen, scholárum ómnium catholicárum cælestis patróne: qui sapiéntiam sine fictiōne didicísti et sine invídia commúnicas, ipsam Sapientiam Fílium Dei deprecáre pro nobis, ut, veniénte in nos Spíritu sapiéntiæ, ea quæ docuísti intellectu conspiciámus, et quæ egísti imitatióne compleámus; doctrínæ et virtútis, quibus in terris solis instar semper eluxísti, partícipes efficiámur; ac tandem eárum suavíssimis fructibus perénneriter tecum delectémur in cælis, divínam sapiéntiam collaudántes per infinítā sǽcula sǽculorum. Amen.

Ad S. Catharinam Senensem

Ant. O Virgo, máxima glória præstans, cuius sacra stata orbis univérsus célébrat, quam Angeli cum láudibus éfferunt, ac céteri supérni cives admirántur: age apud Deum, quo mentes nostræ semper divinis præcèptis obtémparent, nosque virtútibus alijsque bonis áugeat.

¶. Ora pro nobis, beáta Catharína.

R. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio

Deus, qui beatæ Catharínæ, virginitatis et patiētiæ speciáli privilégio decorátæ, malignántium spirítuum certámina víncere, et in amóre tui nóminis inconcússe permanére tribuísti, concéde quæsumus ut eius imitatióne, calcáta mundi nequítia, et ómnium hóstium superátis insídiis, ad tuam secúre glóriam transeámus. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

**III. ORATIONES VARIÆ
ET SANCTIS NOSTRIS TRIBUTÆ**

ORATIONES SUPER EVANGELIUM

Oratio prædicatoris

[Cf. Lc 5, 1-10; Mt 4, 18-22]

Dómine Iesu Christe, fac me per aviditátem irrúere ad audiéndum verbum Dei, irruéntes non expéllere, stare secus stagnum non in stagno inánis glóriæ, navículam obœdiéntiæ ascéndere, per humilitátem descéndere, rétia prædicatiónis desidérii et bonæ operatiónis ab omni avaritía, vana glória, et adulatiónē laváre, per concórdiam sententiárum refícere, per manifestatióne exsiccáre, per cautélam non per desídiam plicáre, per scissiónem non rúmpere, navem religiónis a terrénis redúcere, in ea quiescéndo sedére.

[Fac me] álios per exémplum docére, contemplatiónen et actiónen alternáre, in profúndum contemplatiónis prædicatiónis religiónis dúcere, in verbo tuæ inspiratiónis, non in nocte culpæ vel ignorantiæ rétia in captúram vivórum óperum laxáre, in aquis tribulatiónum copiósam multitúdinem internárum visitatiónum et consolatiónum conclúdere: ita ut ánima per admiratiónen extendátur et subsídia proximórum et inferiòrum requírat.

Ambas naves patiéntiæ et obœdiéntiæ adímplicant, per humilitátem ad génuia Iesu prócidant, ut ex hoc subdúctis ad terram vivéntium návibus, præmia cápiant ætérrna. Amen.

[S. Albertus Magnus: ed Borgnet, t. 13, p. 379]

In undecima hora vitæ prædicatoris

[Cf. Mt 20, 1-16]

Dómine Iesu Christe, summe paterfamílias qui me primo mane in víneam tuam vocásti, dum me a iuventúte mea ad laborándum in religiōne pro denário vitæ

ætérnæ conduxísti, cum sero factum fúerit, in iudício, et reddes operáriis mercédem, quid dabis mihi, qui non solum in foro sáculi, sed in ipsa vínea religiónis tota die vitæ meæ otíosus steti? Dómine qui non pónderas ópera nostra ad pondus pùblicum, sed ad pondus sanctuárii, fac me saltem in undécima hora resipíscere, et quia tu bonus es, óculus meus omníno nequam non inveniátur. Amen.

[S. Albertus Magnus: ed. Borgnet, t. 13, p. 353]

Doce nos intellegere

[Cf. Mt 22, 15-22; Mc 12, 13-17; Lc 20, 20-26]

Dómine Iesu Christe, doce nos astútias seductórum ex verbis eórum intellégere, detégere, et cavére ab eis qui nos ex verbis nostris cápere volunt, dirécte non respondére, sed ex eórum verbis responsiónem eos capiéntem elícere, verbis quæ a multis dicúntur: ut propter hoc gloriósi videántur; vel ut eis placeámus non assentíre, sed in ómnibus ratíónem sequi, occasióne falsæ pietatis vel amplificándi cultum divínum nihil in præiudícium alterius dícere nisi quod iustum crédimus.

Da nobis naturáli et gratuítá superscriptióne insigníri, título tuæ triumphális Passiónis, tuæ mortis memoriáli, et tuæ domus præconiáli: ut práctici et theórici intelléctus vitæ corporális et spirituális vices prudénter altermánndo, reddámus quæ sunt Cásaris, Cásari, et quæ sunt Dei, Deo. Amen.

[S. Albertus Magnus: ed. Borgnet, t. 13, p. 400]

ORATIONES PRO VARIIS NECESSITATIBUS

Ad veniam pro peccatis impetrandum

Ad te fontem misericordiae, Deus,
accedo peccator.

Ergo digneris me lavare immundum.

O sol iustitiae, illumina cæcum;
o æterne medice, cura vulneratum;
o Rex regum, indue spoliatum.

O mediator Dei et hominum, reconcilia reum;
o pastor bone, reduc errantem.

Da, Deus, misericordiam misero,
indulgéntiam criminoso,
vitam mortuo, iustificationem ímpio,
unctionem gratiæ indurato.

O clementissime, révoca fugientem,
trahe renitentem, érige cadentem,
tene stantem, conduc ambulantem.

Ne obliviscaris te obliviscéntem,
ne déseras te deseréntem,
ne despicias peccántem.

Ego enim peccando
te, Deum meum, offendi,
proximum læsi, mihi non peperci.

Peccavi, Deus meus:
fragilitate, contra te Patrem omnipoténtem,
ignorantia, contra te Fílium sapiéntem,
malitia, contra te Spíritum Sanctum;
et his offendi te,
Trinitatem excelléntem.

Heu mihi misero!
Quot et quanta commisi, quália perpetrávi!
Derelíqui te, Dómine!

De bonitate tua cónqueror,
amore malo accedente, timore malo humiliante;

quibus pótius te amítttere quam amátis carére,
 pótius te offéndere,
 quam timénda non incúrrere vólui.

O Deus meus,
 quantum nócui verbo et ópere,
 peccándo laténter, paténter et contumáciter.
 Quare pro mea fragilitáte súpplico,
 ut non atténdas meam iniquitátem
 sed tuam imménsam bonitátem;
 et remíttas cleménter quæ feci,
 donans dolórem pro prætéritis,
 et cautélam efficácem de futúris. Amen.

[S. Thomas Aq.: ed. Parm., t. 24, p. 241]

Ad vitam sapienter instituendam

Concéde mihi, miséricors Deus,
 quæ tibi sunt plácita ardénter concupíscere,
 prudénter investigáre,
 veráciter agnóscere et perfécte adimplére
 ad laudem et glóriam nóminis tui.

Ordina, Deus meus, statum meum:
 et quod a me requíris ut fáciam tríbue ut sciam,
 et da éxsequi sicut opórtet
 et expedit ánime meæ.

I

Da mihi, Dómine Deus meus,
 inter próspera et advérsa non defícere,
 ut in illis non extóllar
 et in istis non déprimar.

De nullo gáudeam vel dóleam
 nisi quod ducat ad te
 vel abdúcat a te.

Nulli placére áppetam
 vel displicére tímeam nisi tibi.

Viléscant mihi, Dómine, ómnia transitória
 et cara mihi sint ómnia tua.

Tædeat me gáudii, quod est sine te,
 nec áliud cúpiam, quod est extra te.
 Deléctet me, Dómine, labor qui est pro te,
 et tædiósa sit mihi omnis quies,
 quæ est sine te.

Frequénter da mihi, Dómine, cor ad te dirígere,
 et in defectióne mea
 cum emendatiónis propósito constánter dolére.

II

Fac me, Dómine Deus meus,
 obœdiéntem sine contradictíone,
 páuperem sine deiectíone,
 castum sine corruptíone,
 patiéntem sine murmuratióne;
 húmilem sine fictíone,
 hílarem sine dissolutíone,
 tristem sine deiectíone
 matúrum sine gravitáte;
 ágilem sine levitáte,
 timéntem te sine desperatióne;
 verácem sine duplicitáte,
 operántem bona sine præsumptíone;
 próximum corrípere sine elatióne
 ipsum ædificáre, verbo et exémplo,
 sine simulatióne.

Da mihi, Dómine Deus, cor pérvigil,
 quod nulla abdúcat a te curiosa cogitatio
 da nóbile, quod nulla deórsum trahat
 indígnā afféctio;
 da rectum, quod nulla seórsum oblíquet
 sinístra inténtio;
 da firmum, quod nulla frangat
 tribulatió;
 da líberum, quod nulla sibi víndicet
 violénta afféctio.

III

Largíre mihi, Dómine Deus meus,
 intelléctum te cognoscéntem,
 diligéntiam te quæréntem,
 sapiéntiam te inveniéntem;
 conversatiónem tibi placéntem,
 perseverántiam fidénter te exspectántem
 et fidúciam te fináliter amplecténtem.
 Da tuis pœnis hic afflígi per pæniténtiam,
 tuis benefíciis in via uti per grátiam,
 tuis gáudiis in pátria pérfrui per glóriam.
 Qui vivis et regnas, Deus,
 per ómnia sǽcula sǽculórum. Amen.

[S. Thomas Aq.: ed. Parm., t. 24, p. 242]

Ante lectionem, scriptionem vel prædicationem

Créator ineffábilis,
 qui, de thesáuris sapiéntiæ tuæ,
 tres Angelórum hierarchías designásti,
 et eas super cælum empýreum
 miro órdine collocásti,
 atque univérsi partes
 elegantíssime disposuísti:

Tu, inquam, qui verus fons lúminis
 et sapiéntiæ díceris
 atque superéminens princípium,
 infúndere dignérис
 super intelléctus mei ténebras
 tuæ rádium claritátis,
 dúplices, in quibus natus sum,
 a me rémovens ténebras:
 peccátum scílicet et ignorántiam.

Tu, qui linguas infántium facis disértas,
 lingua meam erúdias,
 atque in lábiis meis
 grátiam tuæ benedictiónis infúndas.
 Da mihi intellegéndi acúmen,
 retinéndi capacitátem,
 addiscéndi modum et facilitátem,
 interpretándi subtilitátem,
 loquéndi grátiam copiósam.

Ingréssum ínstruas,
 progréssum dírigas,
 egréssum cómpleas:
 Tu, qui es verus Deus et homo,
 qui vivis et regnas
 in sǽcula sæculórum. Amen.

[S. Thomas Aq.: ed. Parm., t. 24, p. 243]

Pro obtainendis virtutibus

O Deus omnípotens, ómnia sciens,
 princípio et fine carens,
 qui es virtútum donátor et conservátor:
 dignérис me stabilíre sólido fídei fundaménto,
 et tuéri inexpugnábili spei clýpeo,
 atque decoráre nuptiáli caritátis vestiménto.
 Da mihi per iustítiam tibi subésse,
 per prudéntiam insídias diáboli cavére,
 per temperántiam médium tenére,
 per fortitúdinem advérsa patiénter toleráre.
 Da bonum, quod non hábeo,
 ab habéntibus humíliter quárere;
 malum culpæ, quod feci,
 veráciter accusáre;
 malum pœnæ, quod sustíneo,
 æquanímiter ferre;
 bono próximi non invidére,
 de bonis tuis semper grátias ágere. [...]

Planta in me, Dómine, virtútes,
 ut circa divína sim devótus,
 circa humána offícia próvidus,
 circa usum próprii córporis nulli onerósus.

Da mihi, Dómine, fervéntem contritióne,
 puram confessióne,
 perféctam satisfactióne.

Ordináre me dignérís intérius per bonam vitam,
 ut fáciám quod déceat,
 et quod mihi profíciat ad méritum
 et réliquis próximis ad exémplum.

Da mihi ut numquam
 ea quæ fiunt insipiénter áppetam,
 et quæ fiunt accidióse fastídiam,
 ne contíngat inchoánta ante tempus appétere,
 aut inchoáta
 ante consummatiónem desérere. Amen.

[S. Thomas Aq.: ed. Parm., t. 24, p. 241]

Pro impetranda contemplatione

Te Deum totíus consolatiónis ínvoco,
 qui nihil in nobis
 præter tua dona cernis,
 ut mihi, post huius vitæ téminum,
 donáre dignérís
 cognitióne primæ veritátis,
 fruitiónem divínæ maiestátis.

Da étiam córpori meo, largíssime remunerátor,
 claritátis pulchritúdinem,
 agilitátis promptitúdinem,
 subtilitátis aptitúdinem,
 impassibilitátis fortitúdinem.

Appónas istis affluéntiam divitiárum,
 influéntiam deliciárum,
 confluéntiam bonórum,

ut gaudére possim:
 supra me de tua consolatióne,
 infra de loci amœnitáte,
 intra de córporis et ánimæ glorificatióne,
 iuxta de Angelórum et hóminum
 delectábili associatióne.

Consequátur apud te, clementíssime Pater, in eo
 rationális sapiéntiæ illustratióne,
 concupiscibilis desiderabílum adoptiónem,
 irascibilis triúmphi laudem:
 ubi est, apud te, evásio periculórum,
 distíctio mansiónum, concórdia voluntátum;
 ubi est aménitas vernális, lucíditas aestivális,
 ubértas autumnális et réquies hiemális.

Da, Dómine Deus, vitam sine morte,
 gáudium sine dolóre:
 ubi est summa libértas, líbera secúritas,
 secúra tranquíllitas, iucúnda felícitas,
 felix ætérnitas, ætérrna beatitúdo,
 veritátis vísio atque laudátio,
 Deus! Amen.

[S. Thomas Aq.: ed. Parm., t. 24, pp. 241-242]

Pro gratiarum actione

Laudo, glorífico, benedíco te, Deus meus,
 propter imménsa indígnō mihi
 præstita benefícia.

Laudo cleméntiam tuam me diu exspectántem,
 dulcédinem tuam ulcíisci simulántem;
 pietátem tuam vocántem, benignitátem suscipiéntem,
 misericórdiam peccáta remitténtem;
 bonitátem supra mérita impendéntem,
 patiéntiam iniúriæ non recordántem;
 humilitátem consolántem, patiéntiam protegéntem,
 æternitátem conservántem,
 veritátem remunerántem.

Quid dicam, Deus meus,
de tua ineffábili largítate?
Tu enim vocas fugiéntem, súscipis reverténtem,
ádiuvas titubántem, lætíficas desperántem;
stímulas neglegéntem, armas pugnántem,
corónas triumphántem.

Peccatórem post pæniténtiam non spernis,
et iniúriæ non memíneris.

A multis líberas perículis,
ad pœniténtiam cor emóllis.

Terres supplíciis, állicis promíssis,
castígias flagéllis.

Angélico ministério custódis,
minístras temporália, réservas nobis ætérrna.

Hortáris dignitáte creátoris,
invítas cleméntia redemptiónis,
promíttis præmia remuneratiónis.

Pro quibus ómnibus
laudes reférre non suffício.

Maiestáti tuæ grátias ago
propter imménsæ bonitátis tuæ abundántiam,
ut semper in me grátiam multíplices,
et multiplicátam consérves,
et conservátam remúneres. Amen.

[S. Thomas Aq.: ed. Parm., t. 24, p. 242]

Pro impetranda fidelitate

Omnípotens sempítérne Deus, qui renuntiántibus
século mansíones paras in cælo, imménsam clemén-
tiam tuam humíliter implorámus, ut intercedénte
beáta Vírgine Fílii tui Genetríce, et beáto Domínico
confessóre tuo, Prædicatórum Ordinis patrónis, vota
quæ profiténdo fécimus, fidéliter implére, et ad ea,
quæ perseverántibus in te dignátus es promíttere,
valeámus salúbriter perveníre. Per Christum Dómi-
num nostrum. Amen.

**ADHORTATIO ET ORATIO
DE SEPTIFORMI AFFECTU
AD IESUM CRUCIFIXUM**

Oportet quod convertas te totum et reclines super bracchia Iesu Christi pauperrimi et vilissimi et improoperati, despecti et mortui propter te; usquequo tu sis mortuus in omnibus sensualitatibus tuis humanis et Iesus Christus crucifixus vivat in corde tuo et in tua anima; et totus transformatus et transfiguratus cordaliter sit in te, ut numquam videas nec audias nisi ipsum solum stantem in cruce propter te, ad exemplum Virginis Mariæ; et sis mortuus in mundo et vivas in fide exercens te in sanctis orationibus ad obtainenda dona virtutum et gratiam Dei.

Sed debes præcipue septiformi affectu exerceri ad Dominum, scilicet: amore ardentissimo; timore summo; honore debito; zelo constantissimo; et illis debet adiungi gratiarum actio et vox laudis; omnimodæ obœdientiæ promptitudo; et suavitatis divinæ pro posse degustatio.

Et ideo continue debes ista septem devote petere a Deo, utpote dicendo:

Bone Iesu,
fac ut totis medullis amem te,
summe timeam, reverear
et pro omni honore tuo
fortissime zelosus sim,
ita quod omne tuum opprobrium,
tamquam tuae gloriae zelotypus
vehementissime exhorrescam,
et potissime,
si in me, aut a me, vel pro me,
facta tibi sint opprobria ulla,
Deus meus!

Da etiam ut te Dóminum
tamquam tua creatura
humiliter adorem et recognoscam,

et de ómnibus benefíciis a te mihi impénsis
grátias semper agam;
et hoc cum summa gratitúdine cordis.

Da étiam ut in ómnibus
semper te benedíciam,
laudem et magníficem:
et hoc cum summo iúbilo
et tripúdio cordis.

Et tibi in ómnibus obtémperans et obóediens,
semper refíciar
dulcíssima tua ut ineffábili suavitáte,
cum sanctis tuis ángelis et apóstolis
tuæ mensæ assístens,
licet omníno indígnus et ingrátus.

Qui cum Patre et Spíritu Sancto
vivis et regnas, Deus,
benedíctus in sácula. Amen.

[S. Vincentius Ferrer, Tract. De Vita spirituali:
ed. Garganta - Forcada, Madrid 1956, p. 533]

Salutatio S. Thomæ ad Crucem

Crux mihi certa salus.
Crux est quam semper adóro.
Crux Dómini mecum.
Crux mihi refúgium.

**BENEDICTIO INFIRMORUM
IN NONNULLIS PROVINCIIS O.P. ADHIBITA**

1. Sacerdos, benigne excipiens infirmos, prius verbis fidei et humanitatis sensibus corda eorum apostolica sublevet caritate eosque de valore impetrativo huius invocationis edoceat, animum eorum ad fiduciam in Deum excitet atque ad divinam eius voluntatem amplectendam disponat.

Si morbus periculosus sit, quamquam non proxime, sacerdos ad Unctionem infirmorum suscipiendam horretur.

Post autem verba salutationis et exhortationis, manibus extensis vel, ubi est consuetudo, manus impnens super caput infirmi, sacerdos sequentem dicat orationem beato Vincentio Ferrer tributam, qua sanctus Ludovicus Bertrán utebatur:

« Super ægros manus impónent
et bene habébunt ».

Iesus Maríæ Fílius, mundi salus et Dóminus,
qui te traxit ad fidem cathólicam,
te in ea consérvet, et beátum (beátam) fáciat,
et méritis beátæ Vírginis Maríæ,
et beáti Domínici Patris nostri,
et beáti Vincéntii, et ómnium sanctórum,
te ab hac infirmitáte liberáre dignétur.

2. Deinde sacerdos addit:

Adapériat Dóminus corda nostra illáque recte dispónat per audítum Verbi eius.

Tunc ab uno ex astantibus vel ab ipso sacerdote legitur textus Evangelii secundum Ioannem (Io 1, 1-14) vel secundum Marcum (Mc 16, 15-20). Vel alias legatur textus aptus, v.g. ex iis qui in Ordine Unctionis infirmorum nn. 153 sqq. proponuntur, præsertim: Is 61, 1-3a; Rom 8, 14-17; Mt 5, 1-12a; Mt 11, 25-30; Lc 12, 35-44a.

Huiusce lectionis, pro opportunitate, brevis explicatio fieri potest.

V. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spíritu tuo.

✚ Inítium sancti Evangélii secúndum Ioánnem.

R. Glória tibi. Dómine.

3. Deinde sacerdos his vel similibus verbis orationem dominicam introducit:

Deum Patrem omnipoténtem
nunc fidéliter invocémus
qui ab humánis corpóribus
omnem languórem et omnem infirmitátem
præcépti sui potestáte depéllit,
eiúsque bonitátem exaltémus verbis ipsíus Christi:
et omnes simul pergunt:

Pater noster, etc.

4. Ritus benedictione sacerdotis concluditur:

Dóminus Iesus Christus apud te (vos) sit,
ut te deféndat;
intra te sit, ut te consérvet.
Ante te sit, ut te dedúcat;
post te sit, ut te custódiat.
Super te sit, ut te benedícat:
Qui cum Patre et Spíritu Sancto in unitáte perfécta
vivit et regnat per ómnia sácula sæculórum.
R. Amen.

Et benedíctio Dei omnipoténtis,
Patris, et Fílii, **✚** et Spíritus Sancti,
descéndat super te (vos), et máneat semper.
R. Amen.

Vel aliæ formulæ benedictionis.

Deinde aspergit infirmum vel infirmos aqua benedicta, et sic illos dimitit in pace.

IV. ORATIONES PRO PECULIARIBUS ADIUNCTIS

PRO CAPITULO GENERALI VEL PROVINCIALI ET EUNTIBUS AD ILLUD

1. Per hebdomadas quæ Capitulum generale præcedunt necnon perdurante Capitulo, iuxta indicationes peculiares, Fratres, Moniales et Sorores Dominum pro felici exitu huius conventus deprecentur.

Quædam infra invenientur, quæ adaptationibus opportunitis etiam pro Capitulis provincialibus vel conventionalibus, pro Cœtibus generalibus Fœderationum Monialium vel Capitulis Congregationum adhiberi possunt.

2. Communitates elementa hic proposita seligere possunt, æquilibrium curantes inter celebrationes peculiares et commemorationes cum liturgia vel cum exercitiis communitariis coniunctas, ut tamen oratio pro Capitulo cotidie renovetur.

3. Inter has diversas possibilitates, hæc notentur:

- in Missa conventionali: Missæ pro variis necessitatibus (MR, pp. 785-854); Missæ votivæ (MR, pp. 857-877); orationes fidelium; formulæ propriæ in Prece Eucharistica;
- in Officio Divino ut infra p. 757;
- in celebratione autonoma, in coniunctione cum Liturgia Horarum vel etiam nonnumquam cum Missa;
- in adaptazione recitationis communis S. Rosarii vel alius pii exercitii.

Perdurante vel exeunte Capitulo, Communitates invitantur ut gratiarum celebrent actionem.

A) Specimina precum ad Laudes vel Vesperas addenda

In fine precum ad Laudes et ante commemorationem defunctorum ad Vesperas hæ intentiones adiungi possunt.

DOMINICA

AD LAUDES

Ut abundáre fáciat Dóminus caritátem nostram in ínvicem et in omnes, ad confirmánda corda nostra in sanctitáte, Dóminum deprecémur:

— Te rogámus, audi nos!

AD VESPERAS

Ut nos omnes, qui apostólicam vivéndi formam sumus proféssi, in spíritu sancti Domínici et regulári observántia, sua grátia confírmet, Dóminum deprecémur:

— Te rogámus, audi nos!

FERIA II

AD LAUDES

Ut fratres nostros capituláres dignétur Deus clementer assístere et in illis implére opus fídei in virtúte omnémque voluntátem bonitátis et audáciæ, Dóminum deprecémur:

— Te rogámus, audi nos!

AD VESPERAS

Ut normæ et indicatiónes circa fratres ita a Capituláribus decernántur ut Christum imitántes vitam suam religiósam compónere addíscant cum apostólici múnéreri exigéntiis, Dóminum deprecémur:

— Te rogámus, audi nos!

FERIA III

AD LAUDES

Ut idípsum sápere et implére discámus in Christo Iesu, et non sint in nobis schísmata, simus autem perfécti in unitáte, Dóminum deprecémur:

— Te rogámus, audi nos!

AD VESPERAS

Ut nemo se sedúcat, sed si quis vidétur inter nos sápiens esse in hoc sáculo, stultus fiat in Christo, ut sit sápiens, Dóminum deprecémur:

— Te rogámus, audi nos!

FERIA IV**AD LAUDES**

Ut nos, corpus Christi et membra de membro, æmulémur charísmata melióra, malítia párvuli efficiámur et viríliter agámus in caritáte, Dóminus deprecémur:

— Te rogámus, audi nos!

AD VESPERAS

Ut propítius Dóminus adsit frátribus nostris ad Capítulum pergéntibus et viam ipsórum in salútis suæ prosperitaté dispónat eiúsque semper prótegat auxílio, Dóminum deprecémur:

— Te rogámus, audi nos!

FERIA V**AD LAUDES**

Ut det ómnibus frátribus, illis præsértim, qui Capítulo adsunt, fidéles atque vigilantes se exhibére ad Ecclésiæ exigéntias nostríque témporis neces-sítates, Dóminum deprecémur:

— Te rogámus, audi nos!

AD VESPERAS

Ut multifórmi grátia corda nostra adapériat qua fratérnum cum ómnibus diálogum inténdere valeámus eiúsque vocem in eórum vócibus agnoscámus, Dóminum deprecémur:

— Te rogámus, audi nos!

FERIA VI

AD LAUDES

Ut fratrum nostrorum qui, persecutiōne deténti,
Capítulo interēsse prohibéntur, tristitia vertátur
in gáudium quod nemo tollet ab eis, Dóminum
deprecémur:

— Te rogámus, audi nos!

AD VESPERAS

Ut congregatiō nostra capituláris, a Spíritu Sancto
illumináta, Christi semper vivētis testimónium
cum fidúcia magna perhíbeat, Dóminum depre-
cémur:

— Te rogámus, audi nos!

SABBATO

AD LAUDES

Ut nos qui Maríam Reginam Apostolórum Ma-
trem misericordiae venerámur, múnere nobis com-
mísso ad Ecclésiæ cunctorūmque fratrum ser-
vítium prudénter ac válide fungámur, Dóminum
deprecémur:

— Te rogámus, audi nos!

AD VESPERAS

Ut nos qui vocatiōnem prædicatiōnis sub Ré-
gula sancti Augustíni asserváre nítimur, eius spí-
ritum, viam et ratiónem habeámus in Capítulo
perficiéndo, Dóminum deprecémur:

— Te rogámus, audi nos!

B) Ad Horas minores

*Ad Horas minores vel Horam medianam, post Amen
in fine orationis diei, adiungi potest clausula sequens:*

Per intercessiónem beatíssimæ Vírginis Maríæ, Ordinis patrónæ, misereártur nostri et salútem nobis concédat Christus Dóminus, qui bonus est et hóminum amátor.

V. Benedicámus Dóminum.

R. Deo grátias.

C) Schemata autonoma

Schemata hic proposita autonome adhiberi possunt vel cum exercitio aliquo Communitatis coniuncta. Per invocationem brevem ad Spiritum Sanctum incipitur: Veni, Sancte Spíritus; sequitur una vel alia stropha hymni Veni, Creaor Spíritus (LH II, 795), Sancti Spíritus adsit nobis grátia (730), sequentiae Veni, Sancte Spíritus, et emítte vel alicuius hymni probati; postea antiphona, psalmus, versus et oratio dicuntur.

SERIES I

Ante Capitulum

1

Invocatio ad Spiritum Sanctum

Veni, Sancte Spíritus,
reple tuórum corda fidélium
et tui amóris in eis ignem accénde,
qui, per diversitatem linguárum multárum,
gentes in unitáte fídei congregásti.

PSALMODIA

Ant. Audíte et intellégite traditiónes quas Dóminus dedit vobis. [AG 438]

Ps 121: Lætatus sum.

V. Eúntes dícite.

R. Appropinquávit in vos Regnum Dei.

Oratio

Adéstos, Dómine, supplicatióibus nostris, et viam famulórum tuórum in salútis tuæ prosperitaté di-

spóne, ut inter omnes viæ et vitæ huius varietátes,
tuo semper protegántur auxílio. Per Christum.

2

Invocatio ad Spiritum Sanctum

PSALMODIA

Ant. Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua
et in præcéptis suis, et fáciat pacem. [AG 579]

Ps 120: Levavi oculos meos in montes.

V. Viam tuam, Dómine, demónstra mihi.

R. Et sémitas tuas édoce me.

Oratio

Tua nos, quæsumus, Dómine, grátia semper et
prævéniat et sequátur, ac bonis opéribus iúgiter præ-
stet esse inténtos. Per Christum.

3

Invocatio ad Spiritum Sanctum

PSALMODIA

Ant. Da mercédem, Dómine, sustinéntibus te, ut
prophétæ tui fidéles inveniántur. [AG 315]

Ps 125: In convertendo Dominus.

V. In mundo pressúram habébitis.

R. Sed confídite: ego vici mundum.

Oratio

Omnípotens et miséricors Deus, univérsa nobis
adversántia propitiátus exclúde, ut mente et córpore
páriter expedíti, quæ tua sunt líberis méntibus exse-
quámur. Per Christum.

¶ Adhiberi etiam potest Ps 122 Ad te levávi, ant.
Veni Sancte Spíritus, Kýrie, Pater noster, v. Emítte Spí-
ritum tuum, v. Salvos fac, Orémus, Deus qui corda,
Adésto Dómine supplicatióibus nostris, sub uno Per
Christum (BB I 47*).

SERIES II**Perdurante Capitulo**

1

Invocatio ad Spiritum Sanctum**PSALMODIA**

Ant. Ubi duo vel tres congregáti fúerint in nōmine meo, in médio eórum sum, dicit Dóminus.

[AG 438]

Ps 132: Ecce quam bonum.

V. Ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus.

R. Usque ad consummatiónem sáculi.

Oratio

Deus, qui Apóstolis tuis Sanctum dedísti Spíritum, concéde plebi tuæ piæ petitónis efféctum, ut, quibus dedísti fidem, largiáris et pacem. Per Chri-stum.

2

Invocatio ad Spiritum Sanctum**PSALMODIA**

Ant. Non vos me elegístis, sed ego elégi vos et pósui vos, ut eátis et fructum afferátis, et fructus vester máneat, dicit Dóminus.

Ps 124: Qui confidunt in Domino.

V. Pétite et accipiétis.

R. Pulsáte et aperiétur vobis.

Oratio

Famíliam tuam, quásumus, Dómine, contínua pietáte custódi, ut, quæ in sola spe grátiæ cælestis innítitur, tua semper protectióne muniátur. Per Chri-stum.

Invocatio ad Spiritum Sanctum

PSALMODIA

Ant. Pie Pater Domínice, tuórum memor óperum, sta coram summo iúdice pro tuo cœtu páuperum. [AG 885]

Ps 133: Ecce benedicite Dominum.

V. Beáti immaculáti in via.

R. Qui toto corde exquirunt Dóminum.

Oratio

Deus, cuius providéntia in sui dispositióne non fállitur, te súpplices exorámus, ut nónia cuncta submóveas, et ómnia nobis profutúra concédas. Per Christum.

**PRECES PRO FAMILIA DOMINICANA
ET PRO BENEFATORIBUS**

Fratres sororesque preces et merita laboris apostolici cum universa Familia Dominicana, una cum parentibus, familiaribus et benefactoribus communicent, « qui de bonis sive spiritualibus sive terrenis cum eis partem faciunt ut expeditiores inveniantur in opere Evangelii » (LCO, n. 15 § II; cf. LCM, n. 13 § II).

Præter suffragia quotidiana pro defunctis (cf. LCO, n. 72; LCM, n. 18) orationes pro benefactoribus multiplice forma confici apteque pro tempore iterari poterunt (cf. LCM, n. 76).

Schemata autem quæ sequuntur ad orationes pro benefactoribus præbentur ut elementa ad nutum Capituli conventualis seligenda.

A) Preces in Liturgia Horarum

AD LAUDES MATUTINAS

Deo Patri nostro, qui nos multis cum frátribus vocavit ad Christum sequéndum et ad Evangélium serviéndum, grátias agámus et læti clamémus:

Glória tibi, Dómine, in sæcula.

Pater clementíssime, de tuo nos te laudámus amóre,
 — quia nos mirabíliter condidísti et mirabílius re-formásti.

Tu, Dómine, ab orígenē Ecclésiæ Maríam fídei te-stem effecísti et Patri nostro Domínico ministé-rium prædicatiónis commisísti,
 — éffice ut Ecclésia ómnibus homínibus salútis fiat sacraméntum et Papa noster N. cunctíque Pa-stóres nostri in múnere suo conficiéndo auxílium recípere mereántur.

Tu, miséricors Deus, vis ut paréntes fratres familia-résque nostri benignitátem tuam erga nos ma-niféstent,
 — éffice ut voluntáti tuæ simus semper inténti et cogitatiónes actionésque nostræ te semper glo-ríficent.

Ad Verbum tuum nuntiándum vocáti, ipsum a Spíritu Sancto fidénter expóscimus

— et grátias ágimus pro ómnibus benefactóribus qui nobis in hoc servítio missionário auxiliántur.

(**Vel:** Moniáles, a Deo vocátæ ut exémplo Maríæ sé-deant secus pedes Iesu et verba illíus áudiant,
 — fratres benefactóres familiarésque ádiuvent ut et ipsi in solitúdine intróeant ubi tu, Deus, ad cor lóqueris et ad opus salútis consócias.)

Fratrum omniúmque necessitatibus corda résera nostra,

— ne fraterna nostra dilectiōne privéntur.

[Sanctæ Dei Genetrícis sempérque Vírginis Maríæ et Sanctórum ómnium memóriam recólimus, ut, ip-sis pro nobis orántibus, véniam a Dómino mereámur accípere:]

Pater noster, etc.

Oratio ut in Liturgia Horarum.

AD VESPERAS

Deum, Patrem misericordiarum, qui in fámulo suo Domínico nos coadunávit vocatióne sancta, eníce rogémus pro frátribus et benefactóribus nostris:

Deus, refúgium nostrum, exáudi nos.

Tu, Dómine, fámulum tuum Domínicum experíri voluísti dulcédiñem societátis tecum et cum frátribus in vita apostólica,

— propósitum in nobis confírma, ut cáritas in nobis regnans communiónem et unitátem ómnium in Christo credéntium appróperet.

Qui dixísti: « Quérите primum regnum Dei et iustítiā eius, et réliqua ómnia adiciéntur vobis »,

— éffice ut ministério et oratióne nostra omnes hómines corroboréntur, ut lumen veritátis quárere et ad vitam novam in Christo renásci váleant.

Qui ómnia membra Familiæ Dominicánæ ad Evangelium vocas testificándum et ad ædificatióñem pópuli tui consócias,

— eos omnes in caritatē tua sancta custódi, et in lúmine veritátis tuæ dírige.

Qui dixísti: « Veníte ad me, omnes qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciām vos »,

— confórta corda eórum qui nunc oratióni nostræ commúnicant omniúmque qui nos rogavérunt ut pro ipsis intercedámus.

Tu, Dómine, plenus es misericórdia in eos qui te fidénter ínvocant:

— tuam indulgentiam supplíciter implorámus pro frátribus, soróribus, paréntibus, amícis ac benefactóribus defúnctis.

[Sanctæ et immaculatæ Dóminæ nostræ, gloriósæ Dei Genetrícis sempérque Vírginis Maríæ, sancti Domíni et ómnium Sanctórum Ordinis nostri memóriam faciéntes atque auxílium postulántes,

nosmetípsos et ínvicem totámque vitam nostram
Deo commendémus:]

Pater noster, etc.

Oratio ut in Liturgia Horarum.

PRO COMMEMORATIONE

Post orationem conclusivam alicuius Horæ antiphona peculiaris cum oratione appropriata addi potest, iuxta formam « commemorationis » (cf. IGLH, n. 239).

Ant. Rogáte quæ ad pacem sunt Ierúsalem, et abundántiam diligéntibus te. Propter fratres meos et próximos meos loquébar pacem de te.

Vel, præsertim in cantu: Exsúrge, Dómine, ádiuva nos: et líbera nos propter nomen tuum, allelúia.
[Process. O.P. 125]

Vel: Mandátum novum do vobis (**OHS**, 94), In hoc cognóscent omnes (**OHS**, 94), Quærите primum (**AG**, 595).

V. Salvos fac servos tuos et ancíllas tuas.

R. Deus meus, sperántes in te.

Oratio

Deus, qui caritatis dona, per grátiam Sancti Spíritus, tuórum fidélium córdibus infudísti, da fámulis tuis, pro quibus tuam deprecámur cleméntiam, salútem mentis et córporis, ut te tota virtúte diligent, et, quæ tibi sunt plácita, tota dilectione perfícient. Per Christum.

Vel aliæ orationes: **MR**, n. 39 A, 844; n. 39 B, 845; n. 42, 849; n. 43, 850.

AD HORAS MINORES

Ad Horas minores vel ad Horam medium, post lectio-nem brevem et ante orationem diei, pro benefactoribus dici possunt preces breviores similes illis quæ in Appendix II Liturgiæ Horarum inveniuntur.

B) Schemata autonoma**SERIES I**

1

ADMONITIO PRÆVIA

Sciéntes credéntium preces gratas esse et efficáces apud Dóminum, álii pro áliis rogémus, et quia ille promísit in médio nostrum esse, supplicémus ut univérsa Família Dominicána necnon benefactóres nostri in conspéctu eius vívere et eum fidéliter sequi váleant.

ANTIPHONA

Ant. Cantáte et psállite in córdibus vestris Dómino, grátias agéntes semper pro ómnibus, in nómine Dómini nostri Iesu Christi, Deo et Patri.

Vel, præsertim in cantu: Pópulus meus, ait Dóminus, bonis meis adimplébitur. [AG 218]

Vel: Veníte, benedícti Patris mei, percípite regnum, quod vobis parátum est ab orígine mundi. [AG 420]

Vel: Diligámus nos ínvicem (OHS, 95), Quod uni (AG, 420).

PSALMUS

Ps 66: Deus misereatur nostri.

Vel:

Ps 122: Ad te levavi.

Vel:

Dan 9, 4-6. 17-19: Humilitas et pænitentia.

Vel:

Sap 11, 20b-26; 12, 1. 12a. 15-16: Laus Domini providentis.

V. Memor esto congregatiónis tuæ.

R. Quam possedísti ab initio.

Oratio

Deus, qui fámulos tuos in tribulatióne pósitos semper miserátus exáudis, pro benignitáte tua grá-tias agéntes, te súpplices deprecámur, ut, líberi a malis ómnibus, in gáudio tibi iúgiter serviámus. Per Christum.

Vel aliæ orationes: MR, n. 10, 804; n. 12, 807, vel oratio psalmica apta vel una ex precibus in honorem sancti Dominici, 741.

¶ In celebratione longiore, addi poterit pars altera, præcipue pro benefactoribus defunctis, cum antiphona, psalmo 129 et oratione appropriata.

BENEDICTIO FINALIS

Pax Dei, quæ exsúperat omnem sensum, custódiat corda vestra et intellegéntias vestras in sciéntia et caritáte Dei et Fílii sui, Dómini nostri Iesu Christi.

R. Amen.

V. Ite in pace.

R. Deo grátias.

2

Admonitio prævia.

PRECES SEU INTERCESSIONES

Preces seu intercessiones dicantur ut in Missa vel in Liturgia Horarum ad Vespertas, vel iuxta schemata pænitentiæ et laudis quæ in Proprio, 519, inveniuntur.

[Vocem Christi audiéntes: « Pétite et dábitur vobis », Patrem omnipoténtem humíliter deprecémur, dicéntes:]

Pater noster, etc.

Oratio

Deus protéctor in te sperántium, sine te nihil est válidum, nihil sanctum. Multíplica super nos et super

totam Famíliam nostram misericórdiæ tuæ signa,
ut inter mundánas varietátes, ibi nostra fixa sint
corda ubi vera sunt gáudia. Per Christum.

Vel:

Præténde, Dómine, déxteram cælestis auxílii su-
per fámulos tuos Papam nostrum N., super Magí-
strum Ordinis N. [vel Superiórem vel Superioríssam
generálem Congregationis nostræ N.] totámque Fa-
míliam Dominicánam: ut per intercessiónem beátæ
Maríæ semper Vírginis, sancti Ioseph, sancti Augu-
stíni, sancti Domínici Patris nostri et ómnium fra-
trum qui iam in cælo collætantur, te toto corde per-
quírant et quæ digne póstulant assequántur. Per
Christum.

BENEDICTIO FINALIS

Omnípotens Deus, qui hora cenæ vocáre ad núp-
tias invitátos núnctum suum beátum elégit Domíni-
cum, eius prædicatióne et caritáte vos ducat ad ætér-
num convívium.

R. Amen.

¶. Adiutorium nostrum in nómine Dómini.

R. Qui fecit cælum et terram.

SERIES II

Admonitio prævia.

LECTIO BIBLICA

Mt 6, 31-33

Nolíte sollíciti esse dicéntes: « Quid manducábi-
mus? », aut: « Quid bibémus? », aut: « Quo ope-
riémur? ». Hæc enim ómnia gentes inquirunt; scit
enim Pater vester cælestis quia his ómnibus indi-
gétis. Quæríte autem primum regnum Dei et iustí-
tiam eius, et hæc ómnia adiciéntur vobis. Nolíte ergo
esse sollíciti in crástinum; crástinus enim dies sol-
lícitus erit sibi ipse.

RESPONSORIUM

Cf. 1 Thess 5, 18

R. In ómnibus grátias ágite, * Sine intermissióne
oráte (**T.P.** allelúia).

V. Hæc est enim volúntas Dei in Christo Iesu in
ómnibus vobis. * Sine. [Glória Patri. * Sine.]

[AJ I 649]

Vel responsum breve: Magnificáte Dóminum (**AG**,
363), Cibávit eos (**AG**, 546), **vel antiphona:** Máneant in
nobis (**OHS**, 97).

Vel alia:

Rom 12, 9-15

Diléctio sine simulatióne. Odiéntes malum, adhæréntes bono; caritáte fraternitátis ínvicem diligéntes, honóre ínvicem præveniéntes, sollicitúdine non pigri, spíritu fervéntes, Dómino serviéntes, spe gaudéntes, in tribulatióne patiéntes, oratióni instántes, necessitatibus sanctórum communicántes, hospitálitátem sectántes. Benedícite persequéntibus; benedícite et nolíte maledícere! Gaudére cum gaudéntibus, flere cum fléntibus. Idípsum ínvicem sentiéntes, non alta sapiéntes, sed humílibus consentiéntes. Nolíte esse prudéntes apud vosmetíspos.

RESPONSORIUM

Cf. Ps 35, 9-10

R. Inebriáti sunt ab ubertáte domus tuæ: * Et
torrénte voluptátis tuæ potásti eos.

V. Quóniam apud te est fons vitæ: et in lúmine
tuo vidébimus lumen. * Et torrénte. [Glória Patri. *
Et torrénte.]

[AJ II 484]

Vel responsum breve: Benedícam Dóminum (**AG**,
156), Benedíctus es, Dómine (**AG**, 536), **vel antiphona:**
Diligámus nos (**OHS**, 95).

Vel aliæ lectiones: Tob 12, 6-10; Prov 9, 3-6; Act 2,
42-47; 2 Cor 9, 6-15; Ap 21, 5-7.

Oratio

Omnes, per aliquod temporis spatium, in silentio orant.

Implorantes, Domine, misericordiam tuam, fidèles populos propitius intuere, ut, qui de tua pietate confidunt, tuae caritatis dona ubique diffundere valent. Per Christum.

Vel aliæ orationes: MR, n. 25 A, 828; n. 41, 484; n. 42, 849.

BENEDICTIO FINALIS

Deus, qui in beato Dominico officium apostolicum dignatus est suscitare, dignetur mentes vestras doctrinis apostolicis informare.

R. Amen.

V. Benedicamus Domino.

R. Deo gratias.

C) Prex brevis

1

In fine alicuius exercitii Communitatis adiungi potest clausula sequens:

Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen sanctum tuum vitam æternam.

R. Amen.

2

Gratias Deo exhibeamus quod benefactores in opere Evangelii et in communione fidei et caritatis nobis sociaverit.

Oratio

Omnes, per aliquod temporis spatium, in silentio orant.

Deus, Pater donorum omnium, a quo descendere confitemur quidquid habemus aut sumus, beneficia

doce nos imménsæ tuæ pietatis agnoscere, ac te sincero corde totaque nostra virtute diligere. Per Christum.

Vel aliæ orationes: MR, p. 909; vel una ex precibus in honorem sancti Dominici, 741.

BENEDICTIO PRO ITINERANTIBUS

1. Cum frater (vel monialis vel soror) de aliqua Communitate ad aliam discedit, vel cum ad diuturnam missionem proficiscitur, preces aptae fieri possunt.

2. Inter ea quæ hic proponuntur, seligi possunt quæ ad causam itineris, ad usus locales necnon ad formam opportune communitariam accommodari possint.

Preces vel celebratio ad liturgiam vel ad aliquod exercitium Communitatis, in choro vel extra chorum, coniungantur; gestus quoque symbolicus fieri potest, qui occasione conveniat (v.g. venia, osculum pacis, aspersio, alicuius rei traditio, etc.).

Cum frater rediit vel novus frater in Communiteatem suscipitur, oratio vel gratiarum actio fieri potest.

3. Inter has diversas possibilitates hæc notentur:

- in Missa conventuali: Missæ pro variis necessitatibus vel Missæ votivæ; orationes fidelium; benedictio sollemnis;
- in Officio Divino: preces convenientes, vel memoria fratrum absentium eorumque apostolici ministerii, vel benedictio sollemnis;
- in celebratione autonoma, vel in coniunctione cum Liturgia Horarum vel etiam nonnumquam cum Missa.

A) Quædam elementa

BENEDICTIO SOLLEMNIS

Deus, via, veritas et vita, iter tuum, cogitationes et omnes actus in beneplacito disponat.

R. Amen.

Per diem te salutáris Dómini umbra circúmtegat;
per noctem amíca quies, ipsíus grátiam revelatúra,
confóveat.

R. Amen.

Déxtera Dómini te mirabíliter dedúcatur, præbeátque
ante fáciem tuam divinæ pacis ángelum cómitem.

R. Amen.

Et benedictio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ☩
et Spíritus Sancti, descéndat super te (**vos**), et má-
neat semper.

R. Amen.

V. Procédite, et cogitémus de Salvatóre nostro.

R. Deo grátias.

Vel alia formularia: v.g. MR, nn. 13, 14, 501-502 et
in Missis Propriis O.P.

Adhiberi etiam potest Oratio super populum (v.g.
MR, nn. 2, 9, 15, 20, 22, 507-510) vel, in fine alicuius Officii,
elementum pro commemoratione iuxta schema supra
positum, 767.

B) Schemata autonoma

SERIES I

Admonitio prævia.

ANTIPHONA

Ant. Annuntiáte inter gentes glóriam eius, in
ómnibus pópolis mirabília eius: quóniam magnus
Dóminus et laudábilis nimis.

Vel: Da pacem, Dómine, sustinéntibus te, et exáu-
di orationes servórum tuórum, et dírige nos in viam
iustítiae.

Vel: In viam pacis et prosperitatis dírigat nos
omnípotens et misericors Dóminus: et Angelus Rá-
phael comitétur nobiscum in via, ut cum pace, sa-
lúte et gáudio revertámur ad própria.

Vel, præsertim in cantu: Ecce ego mitto (AG, 303), Ut cognoscámus (AG, 315), Angelis suis (AG, 959), **vel:** Sub tuum præsidium, 684 (AG, 127), Magne Pater, 322 (AG, 881).

PSALMUS

Ps 120: Levabo oculos meos in montes.

Vel:

Ps 24: Ad te, Domine, levavi animam meam.

Vel:

Ps 39, 2-6: Exspectans exspectavi Dominum.

[Ut omnes unum sint, in caritatē et dilectionē fraternali orationem dominicam Deo Patri dicámus:]

Pater noster, etc.

Oratio

Adésto, Dómine, supplicatiōibus nostris, et viam famulórum tuórum in salútis tuæ prosperitatē dispone ut inter omnes viæ et vitæ huius varietatēs, tuo semper protegántur auxílio. Per Christum.

Vel aliæ orationes (LH IV, 1182; MR, n. 9, 803; n. 10, 804; n. 14, 813-814; n. 22, 821; vel ut in Missis Propriis C.P.: « Pro prædicatoribus », vel ut supra, 103 aut 194).

Iuxta locorum consuetudines, pacem et caritatem sibi invicem significant et Prior pacem dat fratri.

Deinde, cantari potest antiphona **Salve, Regína** **vel** alius cantus aptus in reverentiam **Dominæ nostræ.**

Dicitur benedictio et si fit dimissio, sequitur invitatio:

V. Procédite in pace.

R. Deo grátias.

SERIES II

Admonitio prævia.**LECTIO BIBLICA****Io 15, 9-17**

Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos; manéte in dilectione mea. Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectione mea, sicut ego Patris mei præcépta servávi et máneo in eius dilectione. Hæc locútus sum vobis, ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum impleátur.

Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ín vicem, sicut diléxi vos; maiórem hac dilectionem nemo habet, ut ánimam suam quis ponat pro amícis suis. Vos amíci mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Iam non dico vos servos, quia servus nescit quid facit dóminus eius; vos autem dixi amícos, quia ómnia, quæ audívi a Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegístis, sed ego elégi vos et pósui vos, ut vos eátis et fructum afferátis, et fructus vester máneat, ut quodcúmque petíeritis Patrem in nómine meo, det vobis. Hæc mando vobis, ut diligátis ín vicem.

¶ Vel aliæ lectiones: Mt 10, 5b-14; Mc 6, 7-12; 1 Io 1, 1-7; 1 Io 4, 7-11, **vel ex Lectionario Missarum O.P.**

RESPONSORIUM 1 Cor 10, 17; Ps 67, 11; cf. Ps 132, 1

R. Unus panis et unum corpus multi sumus, *
Omnes qui de uno pane et de uno cálice Participámus.

V. Parásti in dulcédine tua páuperi, Deus: qui
habitáre facis unánimes in domo. * Omnes qui.
[Glória Patri. * Participámus.] [MG 101]

Vel responsorium breve: Dóminus vias suas (AG,
382), A periculis cunctis (AG, Add. 20), **vel antiphona:**
Congregávit nos (OHS, 97).

Oratio

Omnes, per aliquod temporis spatium, in silentio orant.

Corda famulórum tuórum, Dómine, illúmina Spíritus Sancti grátia: ignítum eis elóquium dona et iis, qui tuum prædicant verbum, largíre virtútis augmémentum. Per Christum.

Vel:

Deus, cuius Fílius ómnibus in nómine suo congregátis promísit seípsum in médio eórum affutúrum, præsta quásumus, ut illum præséntem nobiscum sentiámus, et abundáre in córdibus nostris grátiam, misericórdiam et pacem in veritáte et cari-táte experiámur. Per Christum.

Vel aliæ orationes: MR, n. 10, 804; n. 14 A, 814; n. 39 B, 845.

BENEDICTIO FINALIS

Deus, qui benigitátem et humanitátem Salvatóris nostri fecit apparére in fámulo suo Domínico, vos quoque confórmes fáciat imágini Fílii sui.

R. Amen.

V. Ite in pace.

R. Deo grátias.

V. LITANIAE B. MARIÆ VIRGINIS AB ORDINE RECEPTÆ

Hic infra præbetur unum ex formulariis quo Litaniæ traduntur B. Mariæ Virginis ab Ordine receptæ et adhuc in multis Provinciis adhibitæ.

In locutionibus et forma, invocationes istæ exemplum præbent pietatis Medii Ævi necnon devotionis Orientis et Occidentis.

Iuxta chronicas quasdam, recentiores primitivis Fratribus, nonnumquam litaniæ istæ agnitæ sunt quasi illæ quas Humbertus de Romans et Capitulum generale anni 1256 præceperunt pro necessitatibus Ordinis (MOPH 3, 1898, pp. 82-83), quamvis textus Capituli expresse non dicat quæ Litaniæ essent dicendæ.

Textus sequens offertur ad libitum pro sodalium Ordinis communi utilitate. Eius adaptatio in linguam vernaculam, ut pro formulariis eiusdem generis, magna libertate fieri poterit et in locutionibus vertendis et in invocationibus consociandis.

Kýrie, éléison.	Kýrie, éléison
Christe, éléison.	Christe, éléison
Kýrie, éléison.	Kýrie, éléison
Christe, audi nos.	Christe, audi nos
Christe, exáudi nos.	Christe, exáudi nos
Pater de cælis Deus,	miserére nobis
Fili Redémptor mundi Deus,	miserére nobis
Spíritus Sancte Deus,	miserére nobis
Sancta Trinitas, unus Deus,	miserére nobis
Sancta María	
Mater Christi sanctíssima,	ora pro nobis
Sancta María Dei Génetrix Virgo,	ora
Sancta María Mater innúpta,	ora
Sancta María Mater invioláta,	ora
Sancta María Virgo vírginum,	ora
Sancta María Virgo perpétua,	ora
Sancta María grátia Dei plena,	ora
Sancta María ætérsi Regis filia,	ora
Sancta María Christi Mater et Sponsa,	ora
Sancta María Spíritus Sancti templum,	ora

Sancta María cælórum Regína,	ora pro nobis
Sancta María Angelórum Dómina,	ora
Sancta María scala Dei,	ora
Sancta María porta Paradísi,	ora
Sancta María nostra Mater et Dómina,	ora
Sancta María nostra spes vera,	ora
Sancta María nova mater,	ora
Sancta María ómnium fidélium fides,	ora
Sancta María cáritas Dei perfécta,	ora
Sancta María imperátrix nostra,	ora
Sancta María fons dulcédinis,	ora
Sancta María mater misericórdiæ,	ora
Sancta María mater ætérsni Príncipis,	ora
Sancta María mater veri consílii,	ora
Sancta María mater veræ fidei,	ora
Sancta María nostra resurréctio,	ora
Sancta María per quam renovátur omnis creatúra,	ora
Sancta María génerans ætérsnum Lumen,	ora
Sancta María ómnia portántem portans,	ora
Sancta María virtus divinæ Incarnatiónis,	ora
Sancta María cubile thesáuri cælestis,	ora
Sancta María génerans factórem ómnium,	ora
Sancta María consílii cælestis arcánum,	ora
Sancta María nostra salus vera,	ora
Sancta María thesáurus fidélium,	ora
Sancta María pulchérrima Dómina,	ora
Sancta María iris plena lætitia,	ora
Sancta María mater veri gáudii,	ora
Sancta María iter nostrum ad Dóminum,	ora
Sancta María advocatione nostra,	ora
Sancta María stella cæli claríssima,	ora
Sancta María præclárior luna,	ora
Sancta María solem lúmine vincens,	ora
Sancta María ætérsni Dei Mater,	ora
Sancta María delens ténebras ætérnæ noctis,	ora

Sancta María delens chyrógraphum nostræ perditónis,	ora pro nobis
Sancta María fons veræ sapiéntiæ,	ora
Sancta María lumen rectæ sciéntiæ,	ora
Sancta María inæstimábile gáudium nostrum,	ora
Sancta María præmíum nostrum,	ora
Sancta María cælestis pátriæ desidérium,	ora
Sancta María spéculum divinæ contemplatiónis,	ora
Sancta María ómnium Beatórum beatíssima,	ora
Sancta María omni laude digníssima,	ora
Sancta María clementíssima Dómina,	ora
Sancta María consolátrix ad te confugiéntium,	ora
Sancta María plena pietáte,	ora
Sancta María omni dulcédine superabúndans,	ora
Sancta María pulchritúdo Angelorum,	ora
Sancta María flos Patriarchárum,	ora
Sancta María humíltas Prophetárum,	ora
Sancta María thesáurus Apostolórum,	ora
Sancta María laus Mártyrum,	ora
Sancta María glorificátió Sacerdótum,	ora
Sancta María decus Vírginum,	ora
Sancta María castitátis lílum,	ora
Sancta María super omnes féminas benedícta,	ora
Sancta María reparátio ómnium perditórum,	ora
Sancta María laus ómnium iustórum,	ora
Sancta María secretórum Dei cóncia,	ora
Sancta María sanctíssima ómnium feminárum,	ora
Sancta María præclaríssima Dómina,	ora
Sancta María margaríta cælestis Sponsi,	ora
Sancta María palátium Christi,	ora
Sancta María immaculáta Virgo,	ora
Sancta María templum Dómini,	ora
Sancta María glória Ierúsalem,	ora
Sancta María lætítia Israel,	ora
Sancta María filia Dei,	ora

Sancta María

Sponsa Christi amantíssima, ora pro nobis
 Sancta María stella maris, ora
 Sancta María diadéma in cápite summi Regis, ora
 Sancta María omni honóre digníssima, ora
 Sancta María omni dulcédine plena, ora
 Sancta María regni cælestis méritum, ora
 Sancta María cælestis vitæ iánua, ora
 Sancta María porta clausa et patens, ora
 Sancta María per quam intrátur ad Dóminum, ora

 Sancta María immarcescíbilis rosa, ora
 Sancta María omni mundo pretiósior, ora
 Sancta María omni thesáuro desiderabílior, ora
 Sancta María áltior cælo, ora
 Sancta María Angelis mundior, ora
 Sancta María Archangelórum lætitia, ora
 Sancta María ómnium Sanctórum exsultatio, ora
 Sancta María
 honor, et laus, et glória, et fidúcia nostra, ora

 Sancta María exténde manum tuam
 et tange cor nostrum,
 ut illúmines et lúberes nos peccatóres, ora
 Fília Dei, María, nos résponce
 Fília Ióachim, María, nos dílige
 Fília Annæ, María, nos súscipe

 Agna Dei, tu porta spei, porta nos ad Fílium
 Agna Dei, nos iungas ei, virginále lílum
 Agna Dei, da requiéi regnum post exsílrium

Pater noster - Ave María.

- V.** Ora pro nobis, Sancta Dei Génetrix.
- R.** Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.
- V.** Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta.
- R.** Da mihi virtútem contra hostes tuos.
- V.** Dómine, exáudi orationem meam.
- R.** Et clamor meus ad te véniat.

Oratio

Defénde, quásumus, Dómine Deus, intercedénte
beáta et gloriósa Dei Genetríce María cum ómnibus
Sanctis tuis, nostram ab omni adversité Domum
et Congregatióne, et ab hóstium tuére cleménter
insídiis. Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

O MARÍA, TEMPLUM TRINITATIS

O María, María, templum Trinitatis!

O María mare pacíficum, María donátrix pacis!

O María vas humilitatis

in quo viget et ardet lumen veræ cognitiónis.

O María, ego vídeo hoc Verbum esse in te,

et tamen non separátur a Patre,

sicut verbum mentale hóminis

quod licet proferátur et áliis communicétur,

non tamen recédit vel separátur a corde.

Osténditur in te, María,

fortitúdo et libértas hóminis:

neque enim ante descéndit in úterum Dei Fílius

quam præbérés assénum voluntatis tuæ.

Exspectábat ad iánuam tuæ voluntatis

numquam intratúrus nisi aperíres dicéndo:

« Ecce ancilla Dómini: fiat mihi

secúndum verbum tuum ».

Ad te, o María, recúrro,

tibi óffero petitionem meam

pro dulci sponsa dulcissimi salvatóris nostri,

et pro vicário eiúsdem Iesu Christi:

uni pópulum eius

et confírma cor pópuli cum eo. Amen.

[S. Catharina Sen., Oratio XI:
ed. G. Cavallini, Roma 1978, pp. 119-133]

SUPPLICATIO PRO FILIALI DEDICATIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINI

Ad te matrem, Virgo María cum fidúcia fratres accédimus. Ad te prædicatòres confúgimus, quæ in verba de cælo missa credidísti et ea in tuo corde contulísti.

Circum te, quæ Apostolórum collégio semper ades, astámus per diversitátem linguárum multárum in unitátem córdium congregáti.

In te, quod recipimus, quod contemplámur, quod collaudámus, quod prædicámus, per quod vivimus, Verbum caro factum est. Sub tuo ígitur præsídio, Verbi incarnáti ministério nosmetípsos hódie dénuo devovémus, immo nos tibi ipsi dicámus ut, tecum Verbum intus audiéntes et uncti Spíritu cuius sacrárium extitísti, nómini Iesu Christi per orbem evangelizándo consecrémur.

Tu, illuminátis cordis oculis, Verbi mystérium cognovísti. Per te possímus eiúsdem præsentiam in nostri témporis história percípere, ut ad ipsum sine spéculo contemplándum perveniámus.

Per te Pater misit Fílium suum in mundum ut salváret eum. Per te valeámus, in conspéctu hóminum, testes fieri veritátis, quæ líberat, et dilectionis, quæ congregat.

Fratrum nostrórum vota huc túlimus et hic perpéndimus. Tu, Mater, vires adde et familiæ nostræ serva concórdiam, ut quæ decernénda iudicávimus, fratérna dilectione coniúncti perficiámus, ad mundi salútem et Dei laudem et glóriam.

[Ex Actis Cap. Gen. O.P. 1974]